

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XX. De Inutilibus Stipulationibus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

rum est usus, & nomen judicialium, prætoriarum, atque communium stipulationum ab usu recessit, at res ipsa i.e. usus & utilitas securitatis, quam intenderunt istæ stipulationes, adhuc salva est. j. Tract. Syn. Inst. h. t.

TIT. XX.

De Inutilibus Stipulationibus.

De his, quæ sunt in commercio.

OMNIS res, quæ dominio nostro subjicitur, in stipulationem deduci potest, siue illa mobilis sit, siue sili.

De his, quæ non sunt in rerum natura aut esse non possunt.

1. At si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit, veluti Stichum, qui mortuus sit, quem vivere credebat: aut Hippocentaurum, qui esse non possit: inutilis erit stipulatio.

De his, quæ non sunt in commercio.

2. Idem juris est, si rem sacram, aut religiosam, quam humani juris esse credebat; vel publicam, quæ usibus populi perpetuo exposita sit, ut forum vel theatrum, vel liberum hominem, quem servum esse credebat; vel cujus commercium non haberit: vel rem suam, dari quis stipuletur. Nec inpendenti erit stipulatio ob id, quod publica res in privatam deduci, & ex libero servus fieri potest, & commercium adipisci stipulator potest, & res stipulatoris esse desinere potest: sed protinus inutilis est. Item contra, licet initio utiliter res in stipulatum deducta sit, si tamen postea in aliquam eorum causam, de quibus supra dictum est, sine facto promissoris devenerit, extinguitur stipulatio. Ac

*Ex Paulo
l. 83. § 5. ff.
de verbo
oblig.*

Aa

nec



nec statim ab initio talis stipulatio valebit: *Lucium Titium, cum servus erit, dare spondes?* & similia. Quæ enim natura sui dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt.

De factò, vel datione alterius.

Ex d. l. 83. de verb. oblig. 3. Si quis alium daturum, facturumve quid promiserit, non obligabitur: veluti si spondeat, Titium quinque aureos daturum. Quod si effecturum se, ut Tirtius daret, sponderit, obligatur.

De eo, in quem confertur obligatio, vel solutio.

Ex Ulp. l. 38. §. 6. de verb. oblig. 4. Si quis alii, quam ei, cuius juri subjectus sit, stipuletur, nihil agit. Plane solutio etiam in extraneam personam conferri potest: veluti, si quis ita stipuletur: *Mibi aut Seio dare spondes?* ut obligatio quidem stipulatori acquiratur, solvi tamen Seio, etiam invito eo, recte possit, ut liberatio ipso jure contingat, sed ille adversus Seium habeat mandati actionem.

Ex Pompon. l. 110. de verb. oblig. Quod si quis sibi, & alii, cuius juri subjectus non sit, dari decem aureos stipulatus est, valet quidem stipulatio: sed utrum totum debeatur, quod in stipulationem deductum est, an vero pars dimidia, dubitatum est. Sed placuit, non plus, quam dimidiam partem ei acquiri. Ei vero, qui juri tuo subjectus est, si stipulatus sit, tibi acquiris, quia vox tua tanquam filii sit, sicut & filii vox tanquam tua intelligitur in iis rebus, quæ tibi acquiri possunt.

De interrogatione & responsione.

Ex l. 1. de verb. obl. 5. Præterea inutilis est stipulatio, si quis ad ea, quæ interrogatus fuerit, non respondeat: veluti, si quis decem aureos a te dari sibi stipuletur, tu quinque promittas, vel contra, aut si ille pure stipuletur, tu sub conditione promittas, vel contra; si modo scilicet id exprimas, id est, si cui sub conditione vel in diem stipulanti, tu respondeas: *Præsententi*

senti die spondeo Nam si hoc solum respondeas: *Promitto*, breviter videris in eandem diem, vel conditionem spondidisse: Neque enim necesse est in respondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expresserit.

De his, qui sunt, vel habent in potestate.

6. Item inutilis est stipulatio, si vel ab eo stipuleris, qui tuo juri subjectus est, vel si is a te stipuletur. Sed servus quidem non solum domino suo obligari non potest, sed ne quidem ulli alii: filii vero familias aliis obligari possunt.

De muto & surdo.

7. Mutum neque stipulari, neque promittere *Ex l. 5. §. 14. de obl. & act.* posse, palam est. Quod & in surdo receptum est, quia & is, qui stipulatur, verba promittentis, & is, qui promittit, verba stipulantis audire debet: unde apparet. non de eo nos loqui, qui tardius exaudit; sed de eo, qui omnino non audit.

De furioso.

8. Furiosus nullum negotium gerere potest, quia non intelligit, quod agit. *Ex Paulo l. 5. de reg. Jur.*

De impubere.

9. Pupillus omne negotium recte gerit: ut tamen, sicubi tutoris auctoritas necessaria sit, adhibeatur tutor: veluti si ipse obligetur: nam alium sibi obligare etiam sine tutoris auctoritate potest. Sed quod diximus de pupillis, utique de iis verum est, qui jam habent aliquem intellectum. Nam infans, & qui infantiae proximus est, non multum a furioso distant, quia hujusmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum. Sed in proximis infantiae, propter utilitatem eorum, benignior juris interpretatio facta est, ut idem juris habeant, quod pubertati proximi. Sed qui in potestate parentis est impubes, ne auctore quidem patre obligatur. *Ex d. l. 5. d. R. F.*

De conditione impossibili.

Ex Paulo
l. 7. de
verb. obl.

10. Si impossibilis conditio obligationibus adjiciatur nihil valet stipulatio. Impossibilis autem conditio habetur, cui natura impedimento est, quo minus existat: veluti, si quis ita dixerit: *Si digito cælum attigero, dare spondes?* At si ita stipuletur, *Si digito cælum non attigero, dare spondes?* pure facta obligatio intelligitur, ideoque statim peti potest.

De absentia.

* v. L. 14.
C. d. contr.
stip.

11. Item verborum obligatio inter absentes concepta, inutilis est. Sed cum hoc materiam litium contentiosis hominibus præstabat, forte post tempus tales allegationes opponentibus, & non præsentibus fuisse, vel se vel adversarios suos, contentibus: ideo nostra Constitutio propter celeritatem dirimendarum litium introducta est, quam ad Cæsarienses Advocatos scripsimus: per quam, disposuimus, tales scripturas, quæ præsto esse partes indicant, omnino esse credendas, nisi is, qui talibus utitur improbis allegationibus, manifestissimis probationibus, vel per scripturam, vel per testes idoneos approbaverit, toto eo die, quo conficiebatur instrumentum, sese vel adversarium suum in aliis locis fuisse.

De stipulatione post mortem, vel pridie quam alter contrahentium moriatur.

12. Post mortem suam dari sibi, nemo stipulari poterat, non magis quam post ejus mortem, a quo stipulabatur. Ac nec is, qui in alicujus potestate est, post mortem ejus stipulari poterat, quia patris vel domini voce loqui videretur. Sed & si quis ita stipuletur: *Pridie quam moriar, vel, Pridie quam morieris, dare spondes?* inutilis erat stipulatio. Sed cum (uti jam dictum est) ex consensu contrahentium stipulationes valeant: placuit nobis, etiam in hunc juris articulum necessariam inducere emen-

emendationem, ut sive post mortem, sive pridie quam moriatur stipulator, sive promissor, stipulatio concepta sit, stipulatio valeat.

De stipulatione præpostera.

13. Item si quis ita stipulatus erat: *Si navis (cras) ex Asia venerit, hodie dare spondes?* inutilis erat stipulatio, quia præpostere concepta est. Sed cum Leo inclytæ recordationis in dotibus eandem stipulationem, quæ præpostera nuncupatur, non esse rejiciendam existimaverit; nobis placuit, & huic perfectum robur accommodare, ut non solum in dotibus, sed etiam in omnibus valeat hujusmodi conceptio stipulationis. * v. L. 25.
C. de te-
stam.

De stipulatione collata in tempus mortis.

14. Ita tamen stipulatio concepta, veluti si Titius dicat: *Cum moriar, dare spondes?* vel: *Cum morieris?* ut apud veteres utilis erat, & nunc valet.

De stipulatione post mortem alterius.

15. Item post mortem alterius recte stipulamur.

De promissione scripta in instrumento.

16. Si scriptum in instrumento fuerit, promississe aliquem, perinde habetur, atque si interrogatione præcedente responsum sit. Ex Paulo
lib. 5. sent.
tit. 7.

De pluribus rebus.

17. Quoties plures res una stipulatione comprehenduntur, si quidem promissor simpliciter respondeat: *Dare spondeo*, propter omnes tenetur. Si vero unam ex his vel quasdam daturum se sponderit; obligatio in iis, pro quibus sponderit, contrahitur. Ex pluribus enim stipulationibus una, vel quædam videntur esse perfectæ: singulas enim res stipulari, & ad singulas respondere debemus.



De pœna adjecta stipulationi, ut alii detur.

Ex d. l. 38.
§. 17. de
verb. obl.

18. Alteri stipulari (ut supra dictum est) nemo potest. Inventæ enim sunt hujusmodi stipulationes vel obligationes ad hoc, ut unusquisque acquirat sibi, quod sua interest: ceterum, si alii detur, nihil interest stipulatoris. Plane si quis velit hoc facere, pœnam stipulari conveniet, ut, nisi ita factum sit, ut est comprehensum, committatur pœnæ stipulatio etiam ei, cujus nihil interest. Pœnam enim cum stipulatur quis, non illud inspicitur, quod intersit ejus, sed quæ sit quantitas in conditione stipulationis. Ergo si quis stipuletur *Titio dari*, nihil agit: sed si adjecerit pœnam, *Nisi dederis, tot aureos dare spondes?* tunc committitur stipulatio.

Si intersit ejus, qui alii stipulatur.

Ex d. l. 38.
§. 20. de
verb. obl.

19. Sed & si quis stipuletur alii, cum ejus interesset, placuit stipulationem valere. Nam si is, qui pupilli tutelam administrare cœperat, cesserit administrationem contutori suo, & stipuletur rem pupilli salvam fore: quoniam interest stipulatoris fieri, quod stipulatus est, cum obligatus futurus esset pupillo, si male res gesserit, tenet obligatio. Ergo & si quis procuratori suo dari stipulatus sit, habebit vires stipulatio. Et si creditori suo quis stipulatus sit, quod sua interest, ne forte vel pœna committatur, vel prædia distrahantur, quæ pignori data erant, valet stipulatio.

De pœna adjecta promissioni facti alieni.

Ex d. l. 38.
§. 2. de
l. O.

20. Versa vice, qui alium facturum promisit, videtur in ea esse causa, ut non teneatur, nisi pœnam ipse promiserit.

De re stipulantis futura.

Ex Ulp. l.
2. de verb.
oblig.

21. Item nemo rem suam futuram in eum casum, quo sua sit, utiliter stipulatur.

De

De dissensu.

22. Si de alia re stipulator senserit, de alia promissor: perinde nulla contrahitur obligatio, ac si ad interrogatum responsum non esset: veluti, si hominem Stichum a te quis stipulatus fuerit, tu de Pamphilo senseris, quem Stichum vocari crederis.

Ex Venul.
l. 137. §. 1.
de verb.
oblig.

De turpi causa.

23. Quod turpi ex causa promissum est: veluti, si quis homicidium, vel sacrilegium se facturum promittat: non valet.

Ex Ulp. l. 26. de verb. obl.

De morte contrahentium.

24. Cum quis sub aliqua conditione stipulatus fuerit, licet ante conditionem decesserit: postea existente conditione, heres ejus agere potest. Idem est & ex promissoris parte.

Ex Pomp.
l. 42. de verb. obl.

Quando agi possit stipulatione.

25. Qui hoc anno, aut hoc mense dari stipulatus est, nisi omnibus partibus anni vel mensis præteritis, non recte petet. Si fundum dari stipuleris, vel hominem, non poteris continuo agere, nisi tantum spatium præterierit, quo traditio fieri possit.

Ex Paul.
l. 105. de solus.

I.

Stipulatio inutilis dicitur hoc loco, quæ non subsistit. §. 1. II. f. h. Talis est ratione objecti, non eorum, quæ Dominio nostro subjiciuntur, nam in stipulationem deducere licet res mobiles, immobiles, P. R. f. h. & Jura §. fin. f. d. Servit. Pr. I. h. rust. §. 1. f. d. usufr. Sed rei (1) in rerum natura non existentis, quæ esse desit, vel esse nequit, licet pœna constituta l. 69. ff. d. V. O. (2) pro-

(a) Pœna rei impossibilis non committitur. l. 69. ff. d. V. O.



§. 2. I. h. *prie* stipulantis. §. II. *J. b.* (3) *extra commercium constituta* stipulatoris, l. 34. ff. d. V. O. vel omnium. a. L. 182. ff. d. R. *J.* (b) ut rei sacrae, religiosae, publicae, liberi hominis, quamvis stipulator credat, rem esse in commercio. §. II. *J. b.* Adeo autem haec stipulatio inutilis est. Ut (1) inpendenti non sit. §. d. j. L. 144. §. 1. ff. d. R. *J.* (c) (2) Vitium non purgetur, conditione adjecta: Si res erit in commercio, d. §. 2. imo cum res in commercio existens utiliter in stipulatum deducta est, extinguitur stipulatio, si eadem sine facto promissoris desierit esse in commercio. §. II. *J. b. j.* L. 140. §. 2. ff. d. V. O. (d) l. 51 ff. eod.

II. Stipulatio inutilis est *facti alieni*, ut si quis alium quid daturum, facturumve promiserit. §. 3. I. h. III. *J. b. j.* L. 3. C. *ne ux. pro marit.* (c) etiam hodie, unde Curator ad litem Curandae suae factam valide non promittit. Ea tamen promissio, accedente ratihabitione ipsius Curandae, confirmatur. a. l. f. C. *ad SCt. Maced.* ceu resp. F. *J. L. Mens. Maj.* 708. Caeterum, qui *se effecturum*, ut Titius credat 100. promisit, fidem adimplere tenetur. a. §. III. *J. b. l.* 73. ff. d. Leg. 1. Dec. El. 42. unde is, qui in alienationem feudi Domini &

(b) *Quod nullius esse potest, id, ut alicujus fiat, nulla obligatio potest efficere.* l. 182. ff. d. R. *J.* §. 2. *J. b.*

(c) *In stipulationibus id tempus spectatur, quo contra-*
bimus. l. 144. §. 1. ff. d. R. *J.*

(d) *Extinguitur obligatio, si in eum casum inciderit, a*
quo incipere non potest. l. 146. §. 2. ff. d. V. O.

(e) *Certissimum est, ex alterius contractu neminem obli-*
gari. l. 13. C. *ne ux. pro mar.*

simul-

simultaneæ investorum consensum se præstiturum dixerat, ad interesse præstandum. hoc non adimpleto, condemnatus est in *F. J. L. M. Nov. A. 701. it.* qui se Caji ratihabitionem anzuschaffen promisit, ad interesse conveniri potest. *Ita pron. S. C. P. L. Termin. Trin. 704.* At qui se curaturum, ut 100. credantur, dixit, omni cura, sed frustra adhibita, liberatur. *a. l. 67. §. 1. ff. d. V. O. d. Dec. 42. ita resp. F. J. L. M. Jul. 705. ad consult. J. G. S.* Quoties pœna in eventum alieni facti haud præstiti, promissa est, illa vi factæ promissionis peti potest. *§. XX J. b. l. 26. C. d. fidej. §. 20. I. h.*

III. *Inutilis est stipulatio, quando stipulamur Alii. §. IV. J. b.* Unde inanis est stipulatio, qua mater acquirere vult Obligationem Filix, *ceu resp. F. J. L. Mens. Maj. A. 708.* Hodie stipulationem tertio factam valere in vim pacti, contendunt haud pauci, quod, concurrente paciscendi intentione & tertii ratihabitione, admitti posse videtur. Apud mercatores in cambiis frequens est expressio: *an Cajum oder Commiss. nec non stipulatio, qua quis sibi & Cajo stipulatus erat, pro parte dimidia, Caji scil. pro invalida est agnita. §. IV. J. b.* *Exceptioni locus est, si (1) saltem factum accipiendæ solutionis, ad effectum liberationis ipso jure (non jus obligationis,) in alium tanquam procuratorem, conferamus, qui dicitur Obligationi adjectus, & Mandanti id, quod accepit, ex Mandato restituere tenetur, §. IV. J. b.* (2) ipse nostræ potestati subjectus sit, vel nos ipsius juri subsumus. v. g. cum filius patri, aut pater filio

stipuletur. *d. §. IV.* (3) *Pœna adjecta* sit in eventum, si factum non sit, quod est stipulatione comprehensum: tum enim pœnæ stipulatio committitur, & stipulatoris interesse censetur.

§. 18. I. h. §. XVIII. *J. b.* Ad pœnæ vero exactiōem, prævia causæ cognitione & sententia Declaratoria, perveniendum est. *a. l. 14. C. d. pact. l. 135. §. 2. ff. d. V. O.* (4) *Stipulatoris intersit*, ut contutoris, qui stipulatur, rem pupilli salvam fore, mandantis, procuratori suo, cui ex mandato obligatus est, Debitoris, qui Creditori suo, cui sub pœna pecuniam debet, stipulatur. §. XIX. *J. b.* Illis tamen casibus *stipulanti* non tertio, datur ex ista stipulatione *actio*. *l. 11. ff. d. O. §. A.* unde, cum Cajus mandasset Titio, ut 600 solverentur Sejo, non competere Sejo, sed Cajo ex ista conventionē actionem *resp. E. J. L. Mens. Febr. 705.*

IV. *Inutilis est stipulatio intuitu formæ, quando responsio non est interrogationi congrua ratione* (1) *Quantitatis*, veluti si 10. stipulanti 5. pro-

§. 5. I. h. mittantur. §. V. *J. b.* tum vero contrahitur obligatio, quando stipulatorem quoque de minore summa sensisse constat. *l. 1. §. 3. 4. ff. d. V. O.* Quod si 5. stipulanti 10. promittantur, promissor non simpliciter. *d. §.* verum ad concurrentem summam saltem obstringitur, ea enim sub majore continetur. *l. 1. §. 4. ff. d. V. O. j. l. 34. ff. d. R. J.* (2) *Qualitatis*, ut puta cum 1) pure interroganti sub Conditione, aut sub conditione interroganti pure respondetur. §. V. *J. b.* nisi stipulatori illico diversitas stipulationis placue-

rit,

rit, tunc enim alia stipulatio contracta videtur. *l. 1. §. 3. ff. d. V. O.* Quando interroganti sub die vel conditione respondetur generaliter. e. g. promitto. *§. V. J. b.* creditur in expressam interrogatione diem vel conditionem consensum esse. *d. §. 2)* ab eo, qui de pluribus rebus interrogatus est, non in genere, sed unius rei, vel quarundam rerum tantum, fit promissio: tum enim promissor ad dandas res prætermittas non obligatur. *§. XVII. J. b. j. L. 29. ff. d. V. O. (f)* §. 17. I. h.

V. *Inutilis est stipulatio propter personam stipulantem, quoties ea (1) promissorem in potestate habet, vel promissoris potestati subjecta est. §. VI. J. b. ob personarum unitatem. §. IV. J. b. §. 6. I. h. L. u. ff. d. leg. 1. (g)* Etiam *hodie* filius, qui est in potestate patris, cum eo contrahere nequit. *v. l. 2. ff. d. Contrah. Emt. Dec. El. 23.* Homines autem *proprii*, cum liberi sint, Dominis suis per stipulationem obligari queunt. Cæterum servus etiam aliis non potest, filiusfamilias aliis potest obligari. *§. VI. J. b. L. 39. ff. d. O. & A. (b) j. l. 1. ff. ad SCt. Mac. (2) Mutus est aut surdus proprie sic dictus, non surdaster, uterque etiam promittere nequit. Is qui stipulatur verba promittentis, & is qui promittit, verba stipulantis audire*

(f) *In stipulatione plurium rerum tot sunt stipulationes, quot res in stipulationem deductæ l. 29. ff. d. V. O.*

(g) *Ex persona sua nemo sibi obligari potest. l. 11. ff. d. leg. 1. §. 4. J. b.*

(b) *Filiusfamilias ex omnibus causis tanquam paterfamilias obligatur. l. 39. ff. d. O. & A.*

debet.

- §. 7. I. h. debet. §. VII. *J. b. j. l. 1. ff. d. V. O. c. 25. X. d. spons.*
 (3) *furore laborat*: furiosus enim nullum ne-
 gotium recte gerere potest. §. VIII. *J. b. l. 40. ff.*
d. R. J. nisi intervalla habeat & tempore inter-
vallorum contrahat. l. 6. C. d. Curat. fur. (4) Im-
pubes est, ubi pupillus infans. i. e. minor septem
 §. 9. I. h. *so similis l. 5. ff. d. R. J. §. IX. J. b.* atque in ea
 ætate negotia gerit per tutorem. *a. l. 18. §. 2. C. d.*
jur. delib. At proximus infantia, i. e. infantia
 major, qui ex annis & doli incapacitate talis
 æstimatur, stipulari potest tutore auctore §. 9. *J. b.*
d. l. 5. eodemque Auctore valide promittit. d. §. &
proximus pubertati. qui ex annis & doli capaci-
tate talis æstimatur. a. §. 18. J. d. obl. que ex del.
l. III. ff. d. R. J. O. C. a. 164. arbitrio judicis, stipulari
 potest tutore auctore. §. 9. *J. b. d. l. 5. eodemque*
 modo promittere. *d. §. Filiusfamilias ne quidem*
 auctore patre obligatur. *d. §. 9. sed pater negotia*
 filii jure patriæ potestatis administrat. *l. 1. C. d.*
bon. mat. l. 6. C. d. bon. qu. lib. l. 18. C. d. jure delib.
 Quodsi autem pater tanquam legitimus admi-
 nistrator Bonorum adventitiorum spectetur, et-
 iam consensum filio infantia majori præstare
 potest. *l. 18. §. f. C. d. jur. del. j. l. f. §. 4. 5. C. d. bon. qu. lib.*

VI *Non valet stipulatio, cui adjecta est conditio*

- §. 10. I. h. *impossibilis natura §. X. J. b. vel jure l. 26 ff. d. V.*
O. l. 15. ff. d. cond. inst. j. L. 31. ff. d. O. & A. (i)

(i) *Quoties contrahentes sub conditione impossibili con-*
trahunt, non tam contrahere, quam nihil agere voluis-
se existimantur. l. 31. ff. d. O. & A.

Vicis-

Vicissim conditio *impossibilis necessaria* s. de non faciendo eo, quod impossibile est, *puram* facit stipulationem. *d. §. X.*

VII. Verborum Obligatio inter absentes concepta inutilis est. *§. XI. §. h. etiam hodie.* Quod *§. II. I. h.* si autem de stipulatione concepta scriptura certo die partes presentes fuisse indicet, omnino illi credendum est. Omnia etiam solenniter gesta creduntur. *§. XVI. §. h. L. 30. ff. d. V. O. (k) §. 16. I. h.* nisi per testes vel instrumenta contrarium, (negotio scilicet tempore, locoque circumscripto. *l. 14. C. d. contr. vel comm. stip*) probetur. *§. XI. §. II. I. h. §. h.* Interim apud Saxones, in processu executionis, exceptio hæc non nisi in continenti probata admittitur & quæ altioris est indaginis ad re-conventionem rejicitur. *Dec. El. 2. 12.*

VIII. Ratione temporis jure veteri *post mortem stipulatoris vel promissoris concepta* stipulatio vel promissio non valebat: sed *jure novo* ea stipulatio *sustinetur* *§. XII. §. h.* quia ab hæredibus & *§. 12. I. h.* contra hæredes recte incipit Actio *l. un. C. ut ab her. §. contr. her.* Item *prepostera* stipulatio inanis erat, qua id agebatur, ut obligatio adesset ante Conditionis eventum; verum ea *quoque* *valida declaratur*, *§. XIII. §. h.* ita ut post conditionis eventum pariat Actionem. *l. 25. C. d. testam.* Interim *utilis est stipulatio, quæ confertur in tempus mortis stipulatoris vel promissoris*, & dies illius vivo stipulatore vel promissore creditur cede-

(k) Si scriptum est, stipulationem intercessisse, videntur omnia solenniter acta esse. *l. 30. ff. d. V. O.*

§. 14. I. h. re cum mortis tempus vitæ accenseatur. §. XIV. *J. b. j. l. 18. §. 1. ff. d. man. testam.* Item post mor-

§. 15. I. h. *tem alterius recte stipulamur.* §. XV. *J. b.* ita ut post adventum mortis veniat dies obligationis *a. l. 213. ff. d. V. S.*

IX. *Stipulatio inutilis est, quando (1) promissio collata in eventum, quo res promissa stipulato-*

§. 21. I. h. *ris futura est.* §. XXI. *J. b. j. §. 10. J. d. leg.* (2) error est in objecto, veluti in corpore promisso, cum de alia re stipulator, de alia re promissor

§. 22. I. h. *senferit.* §. XXII. *J. b. l. 83. §. 1. ff. d. V. O. j. l. 15. ff. d. jurisd.* (3) ex turpi causa facta promissio e. g. homicidii.

§. 23. I. h. *micidii.* §. XXIII. *J. b. j. l. 15. ff. d. cond. inst.*

X. *Stipulatio inutilis nullam producit actionem, eam tamen parit valida stipulatio & quidem cum facta est (1) sub conditione, spes onusque debendi in heredem, moriente stipulatore vel promissore, transfertur, & conditione existente hæres stipulatoris agere, promissoris vero conveni-*

§. 24. I. h. *ri potest.* §. XXIV. *J. b. j. §. 4. J. d. V. O.* (2) *sub expressione anni mensisve, omnibus partibus anni, vel mensis præteritis peti promissum potest* §.

§. 25. I. h. *XXV. J. b.* tempus enim obligationi in favorem promissoris creditur adjectum. *l. 17. ff. d. R. J. (1)* (3) *pure & sine temperamento, non continuo, sed cum elapsum est spatium, quo ejus adimple-*

§. 25. I. h. *tio fieri potuit, agere licet.* §. XXV. *J. b. j. L. 105. ff. d. solut. (m)*

(1) *In stipulationibus promissoris gratia tempus adjicitur. l. 17. ff. d. R. J.*

(m) *Solutio statim promissa cum aliquo temperamento temporis, quo possit solutio expediri, intelligenda est. l. 105. ff. d. solut. §. 25. J. b.*

TIT.

TIT. XXI.

De Fidejussoribus.

Cur accipiantur.

Pro eo, qui promittit, solent alii obligari, qui fidejussores appellantur: quos homines accipere solent, dum curant, ut diligentius sibi cautum sit.

Ex Cajo l. 1. §. 8. de oblig. & act.

In quibus obligationibus.

1. In omnibus autem obligationibus adsumi possunt, id est, sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu contractæ fuerint. At nec illud quidem interest, utrum civilis, an naturalis sit obligatio, cui adjicitur fidejussor: adeo quidem, ut pro servo quoque obligetur, sive extaneus sit, qui fidejussorem a servo accipiat, sive ipse dominus in id, quod sibi naturaliter debetur.

Ex Ulp. l. 8. de fidej. & mandator.

De herede fidejussoris.

2. Fidejussor non tantum ipse obligatur, sed etiam heredem relinquit obligatum.

Ex Ulp. l. 4. hoc tit.

Si fidejussor præcedat, vel sequatur obligationem.

3. Fidejussor & præcedere obligationem & sequi potest.

Ex d. l. 4. & l. 6. hoc tit.

De pluribus fidejussoribus.

4. Si plures sint fidejussores, quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur. Itaque liberum est creditori, a quo velit, solidum petere. Sed ex Epistola D. Hadriani compellitur creditor a singulis, qui modo solvendo sunt litis contestatæ tempore, partes petere. Ideoque, si quis ex fidejussoribus eo tempore solvendo non sit, hoc ceteros onerat. Sed si ab uno fidejussore creditor totum consecutus fuerit, hujus solius detrimentum erit, si is, pro quo fidejussit, solvendo non sit: & sibi imputare debet, cum potuerit juvari ex Epistola D. Ha-

D. Ha-

